

www.e-rara.ch

Annales anabaptistici hoc est, Historia universalis de anabaptistarum origine, progressu, factionibus & schismatis, paradoxis, tumultibus, colloquiis, pacificationibus, locis & sedibus, scriptis hinc ...

Ott, Hans Heinrich

Basileae, A. C. 1672

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24387>

Monita ad lectorem

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

* * * * *

MONITA
AD LECTOREM.

ET si plures inde à relucentis Evangelii primordio calamum in Catibaptistas strinxere, ferè tamen nonnisi circa dogmatica illi occupati fuerunt : huc accedit, quòd sicut in varias parteis inde ab initio Anabaptistica cohors scissa, ita etiam nostrorum in eosdem arma variant. Licet etiam aliqui historiam Anabaptisticam tradiderint, nonnisi tamen succinctè id præstiterunt, nec longè progressi filum mox abruperunt, vel intra exiguum tum anarum, tum tractus alicujus limites, vel intra sectæ certæ placita & acta nonnulla sese continuerunt, vel aliàs paucula quædam, aliud agendo, posteritati reliquere. Atque hæ rationes fuere & cause, quòd desiderium me, extra patriam adhuc constitutum, inuasit inquirendi exactius in totum isthoc negocium, & annalium brevicularum in morem singula consarcinandi, quòd ita nihil restaret, quod quidem ponderis & momenti esset alicujus. Inde quoque accidit, ut varia mihi conquirenda duxerim, conatum etiam meum & institutum exteri varii, quæ Politici, quæ Ecclesiastici juverint & sua mecum communicaverint; nec defuerunt sæpè Anabaptistarum non postremi, viri certè ut candidiores, sic & notæ melioris, quibus proin obstrictum me agnosco. Maximè verò & cum primis Helvæica nostra monumenta, partim typis excusa, partim in archivis utriusque Ordinis asservata, egregias suppetias tulerunt, meque instigant vehementius & confirmarunt, quòd clarum tandem fieret & perspicuum, in Helvetiâ non exclusa fuisse prima hæc ova, neque extra limites egressam Potestatem supremam. Non igitur odium in hoc hominum genus, non virus aut vindicta ulla ad scribendum me impulit, sed discendi studium, cognoscendæ defendendæque veritatis amor, perpetuæ errantium querelæ, atque commiseratio in eosdem. Et quia multis piis atque celebribus viris doluit, nullam hætenus Universalem Anabaptisticam præstare historiam, indequæ ominati, quòd longius illa differatur, hoc plura tetram oblivionis noctem subitura, ideo voto illorum & monitis tribuendum aliquid duxi.

duxī. Non me præterit quàm excelsa & ardua à fide digno requirantur historico, si omnino docto & nato huic seculo sapere atq; placere velit, nempe ut non nisi elaborata & exacta adferat, ut facundia dono ornatus gravi & sublimi genere scribendi sit instructus, ut nervosè & compositè proponat, adeoque suadâ lectorum aures demulceat, à quibus ornamentis longè me abesse profiteor: tamen tot publicis privatisque testimoniis gravibus & certis confisus, proprioque veritatis & integritatis studio innixus prodire sustinui. Nihilominus verò, uti labi & errare humanum, ita me amicis monitoribus promptum offero, ut non ægro, sed æquo & parato animo sim admissurus correctiones, modò justæ sint & moderatæ emendationes: quòd si rixandi culpandive lubido quempiam incessat, hanc legem sibi præfixam nôrit, ut non carprim, sed ordine continuo id præstet.

Dicam fortè impingent ex Anabaptistis aliqui, quòd varia genera uno hoc volumine sim complexus, quibuscum nihil habeant commercii: at quis hoc contendit? Bene se res habet, si hi magis, quàm alii sapiant. Vel ergo inter se conveniant, vel semetipsos distinguant. Generalem me historiam scripsisse sciant, nullius tamen in præjudicium. Non igitur calumnias interpretentur, quæ verè de his, vel illis referuntur *πεπληροφρονημένας*, ex indubiis monumentis, ex publicis actis, ex viris denique ejusmodi, qui ingenuitatis fideique encomium in orbe meruerunt. In se potiùs incusatores & queruli descendant, dicantque quur sarcasticè de nobis, magnificè de se ipsis loquantur? quare teneros Scribas (zarte Schrifffgelehrte) lupos voraces, carnifices, incitatores, persecutores, & nescio quid præterea Ministros nostros vocitent, mundum, mundanos, extraneos cæteros? Respondeant quam ob causam aliam jactitent suam originem? quare ex Helvetia eandem deducant, ac ex Munsterianis se progenitos negitent? Qua fronte Anabaptistas Reformatores fuisse non postremos glorientur, quum tamen ea plerunque loca infederint ac infestârint, ubi Evangelium jam prædicatum, vel sanè de felici Reformationis successu optima spes apparebat? Edicant quo vocante primi illi irrepserint in familias & captivas duxerint mulierculas? (2. Tim. 3. 6.) cujus jussu & auctoritate scripta periculosa, plerunque absque nominibus, lo-

cis &

eis & annis in vulgus sparserint, & factionibus, tumultibus, & subsequenter frequentibus inde pœnis occasionem dederint, adeoque plurimum Evangelio nocuerint? Numne isthoc amabò reformare est, dum duas columnas, quibus universus orbis, ac ipsa etiam militans Christi Sponsa innititur, Statum scilicet utrunque Ecclesiasticum & Politicum tollunt, & hoc ipso fides subditis, ac devotis Verbi Auditoribus scandalum præbent, à subjectione & obedientiâ eisdem solvunt; dum causam Romanensibus præbent nos criminandi, quasi Lutherus & Zuinglius religionem quærant pro libertate: item ex Luthero omnes novas hæreses hujus & superioris seculi ortas: dū colludere nos in pædobaptismo & aliis similibus articulis, cum Papistis ajunt: viceversa dum iidem ad traditiones Antichristianas hunc ablegant articulum & ut hoc obtineant, Augustino hac in parte & aliis diem dicunt, contra veteres explosas hæreses revocant.

Denique ut omnium malorum suorum culpam in Magistratum devolvant, fidei, non morum seu vitiorum causâ puniri & malè haberi, inauditos etiam damnari & vacare se reatu prætendunt: statim oppressam veritatem clamitant, quia ad disputationem publicam non admittantur toties jam auditi ac convicti. Quòd si fortè infirmitatis illorum ratio habeatur & amicum cum illis colloquium instituatur, in dubium tamen, vel periculum victrix vocatur veritas, dum se superiores esse ubique ambitiosè prædicant. Ita victi & superati, ut ne mutire possint, palmam tamen porrigere & obedire nihilominus tergiverfantur & renuunt obtendentes, juramento sancto se teneri ac obstringi; communicandi nobiscum donum à Spiritu S. nondum accepisse: adversari coactores Dei voluntati, quia Deus non constituerit, ut credant aliud: Potestatem & officium Magistratûs corpus solummodo & temporalia tangere; tales Christum Matth. 13. v. 23. corrigere, adeoque in Dei altissimi officium & potestatem se intrudere: Ez. 18. 3. Matth. 10. 28. majoremque sibi quàm Deo obedientiam requirere: supra Verbum Dei non esse judicem, & similia.

Atque hæc ferè sunt, de quibus lectorem præmonere volui, ut ita majori cum fructu sequentem historiam ad usum revocare meliusque accommodare possit, subnixè rogans, ut si fortè vel meliora, vel clariora nosque latentia occurrant, illorum vel nos: vel si malint, alios participent,